

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2394

**Auteur(s) :** Hugues de Morville, Coutances (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Coutances (hôtel-Dieu)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1209, juillet

**Lieu d'émission :** Coutances

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Fondation de l'Hôtel-Dieu de Coutances et établissement d'une Confrérie dans cette maison par Hugues de Morville, évêque de Coutances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae C, n° XXVII, col. 253-254.

b. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° I, p. 1-2.

Texte établi d'après b

Universis Christi fidelibus in Constantiensi episcopatu constitutis, Hugo, Dei gratia, Constantiensis episcopus, salutem in Domino. Considerantes attentius nostram et singulorum quorumcumque tepiditatem et defectum in operibus misericordie que ad salutem proficiunt animarum, et presertim circa hospitalitatis gratiam per quam multi placuerunt Deo, Angelis hospitio susceptis, ad quam nos omnes Apostolus specialiter invitat et hortatur « hospitalitatis, inquiens, nolite oblivisci » ; et iterum « hospitales invicem estote » ; attendentes etiam quia non querit Karitas que sua sunt, sed que Jesu Christi ; nec propria communibus, sed propriis communia anteponit ; de communi fratrum nostrorum concilio, ad communem totius nostre diocesis utilitatem, in honore sancti Spiritus et Beate Marie et Beatorum Apostolorum Jacobi et Johannis, et sancti Anthonii confessoris, hospitale quoddam ad susceptionem pauperum et peregrinorum, de communibus pauperum Christi thesauris, in quibus vere divitie latitant et affluenter abundant, apud Constancias construximus, Domino annuante, de cujus misericordia plene confidimus quod per Sancti Spiritus gratiam septiformam, septem ibi misericordie opera complebuntur, videlicet : in esurientibus pascendis, potandis sitientibus, nudis cooperiendis, suscipiendis hospitibus, infirmis visitandis, incarceratis confortandis, et in sepultura mortuorum. Per hec enim septem misericordie opera, precante septiformis Spiritus gratia, septem peccata criminalia in quibus anime languent, post veram cordis contritionem orisque confessionem, credimus relaxari. Ut igitur quod ad communem utilitatem pie factum est omnibus proficiat ad salutem, et in die tremendi judicii non timeamus a verbo aspero et terribili, quando malis, post exprobrationem torporis et negligentie quam in hoc mundo erga misericordie opera predicta habuerint, a Summo Juce dicetur : Ite, maledicti, in ignem eternum etc, Sed potius per misericordie opera liberati, audire mereamur : Venite, benedicti Patris mei, etc, communi concilio ad predictum hospitale regendum et ad pauperes ibidem perpetuo sustentandos,

in honore Sancti Spiritus omniumque sanctorum, fraternitatem constituimus, non solum nobis et vobis, verum etiam generationi postere profuturam : Confidentes autem de Dei misericordia ejus qui dicit : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis », meritisque Beate Marie et omnium sanctorum omnibus illis qui predictam fraternitatem intraverint et tenuerint, secundum suas facultates eidem hospitali ad usus pauperum de suo aliquid conferendo, septimam partem injuncte sibi penitentie misericorditer relaxamus. Ad petitionem vero nostram capitulum Constantiensis ecclesie et omnes abbacie Constantiensis diocesis, confratribus ejusdem hospitalis et singulis ejus benefactoribus, omnium orationum suarum communem participationem benigne et liberaliter concesserunt, et quod pro defunctis confratribus et benefactoribus, in singulis ecclesiis, per annos singulos, facient annuale, que scilicet novem sunt : Capitulum Constantiense, unum ; abbacia de Cesarisburgo, unum ; abbacia Montisburgi, unum ; abbacia Sancti Salvatoris, unum ; Abbacia de Blanca Landa, unum ; Abbacia Exaquii, unum ; Abbacia Sancti Laudi, unum ; Abbacia de Hambeia, unum ; et abbacia Sancti Severi, unum ; quod quidem in eorum martirologiis scribetur, ut per annos singulos ad memoriam revocetur. In signum hujus concessionis, Cantor Constantiensis et singuli abbates capitulorum suorum sigilla apposuerunt, consensum suum sigillorum munimine confirmantes. Rogamus itaque vos et exhortamur, ut nullus omnino se excuset, sed confratres Christi pauperum fieri festinate, ut quos vobis amicos feceritis de mammona iniquitatis, recipiant vos in eterna tabernacula et de collatione bonorum temporalium centuplum de bonis eternis recipiatis et vitam eternam possideatis. Illis autem qui confratriam colligent fideliter et conservabunt, si tempore interdicti decesserint, ecclesiasticam in singulis parrochiis concedimus sepulturam ; hec autem confratria instituta est ex quo Domus fundata fuit, videlicet Anno ab incarnatione Domini millesimo ducesimo nono, in Capitulo Constantiensi, mense Julii.